S. CLAIN

Elementa Linguae

VIENA 1780

©BCU Clu

ELEMENTA

LINGUÆ

DACO-ROMANÆ,

SIVE

VALACHICÆ.

COMPOSITA

AB

SAMUELE KLEIN DE SZAD,

ORD. S. BASILII M. IN COLLEGIO GRÆCI
RITUS CATHOLICORUM VINDOBONENSI
AD S. BARBARAM EPHEMERIO:

LOCUPLETATA VERO, ET IN HUNC
ORDINEM REDACTA

A

GEORGIO GABRIELE SINKAI,

EJUSDEM ORDINIS, AA. LL. PHIL.
ET SS. TH. D.

VINDOBONÆ,

TYP. JOSEPHI NOB. DE KURZBÖCK,

M. DCC. LXXX.

©BCU Cluj

4304

©BCU Cluj

GEORGIUS GABRIEL SINKAI

CANDIDO LECTORI

S. P. D.

Septimum ſupra decimum fæculum eſt, a quo TRAJANUS devicto Decebalo in orbatam incolis Daciam coloniam duxit. (1.) Ab illo tempore quot, quantisque viciſſitudinibus fuerint expoſiti Romanorum in ea Poſteri, qui vel mediocriter in Hiſtoriis verſati ſunt, facile conjicient. Primum enim ſub Gallieni imperio a Gotthis, dein a Gepidis, a Bulgaris poſtea, aliisve Septentrionalibus barbaris ſub jugum redactos fuiſſe, præ-

(1.) Videatur Dion *in Trajanum*: Flav. Vopiſcus *in Aurelianum*: Sexti Rufi *Brev. Rer. Rom.* Oroſius, Eutropius, &c.

©BCU Cluj

ter Jornandem (2.) ſexcenti alii, illo partim antiquiores, partim poſteriores, Hiſtorici teſtantur: quorum nonnulla magis præcipua teſtimonia ante aliquot annos collegit Eruditiſſimus Samuel Klein in Ms. ſuo opere de *Orig. Daco-Romanorum;* plura ego in adverſaria mea toto illo quinquennio, quo Romæ in Celeberrimo Urbano Collegio de Prop. Fide moratus ſum, retuli.

Hujuscemodi ſervitute plurimum corruptam ſuiſſe Latinam Majorum noſtrorum Linguam, ecquis inficias ire audeat? corruptam tamen prout nunc eſt falſo quis adſereret. Conſtat enim e Scriptoribus rerum Daco-Romanarum, & præſertim e *Chronico Ms.* Conſtantis Miron, Logothetæ Principatus Moldaviæ, (3.) quod

(2.) De rebus Geticis.
(3.) In Alexandrum I. Cap. 18. §. 5.

©BCU Cluj

quod non adeo pridem legendum nobis conceſſit Eruditiſſimus æque ac Doctiſſimus D. Franciſcus Joſephus Sulzer, atque etiam e *Deſcriptione Moldaviæ* Sereniſſimi D. Demetrii Cantemir, ejusdem Provinciæ quondam Authentis, & Principis, tum demum in barbariſmum, in quo nunc ſumus, degeneraſſe Majores noſtros, cum Litteralem Slavinorum, vel (ſi mavis) Illyricanorum Linguam in celebrandis SACRIS circa tempus Concilii Florentini ſat malis avibus adhibere cœperunt. Quod ideo factum fuiſſe tradit Sereniſſimus Author, ut obſecundarent voluntati Archi-Præſulis civitatis Achridæ in Bulgaria, qui inſtigatus a Marco (ut creditur) Epheſio intendebat hoc modo præcludere noſtris omnem aditum ad S. unionem cum Eccl. Romana.

©BCU Cluj

Verebantur nempe hi duo Schismatici, ne, ſi Daco-Romani, ut antea, (4.) dein quoque materna ſua Lingua DIVINA peragerent, Italo-Romani hanc ob ſummam cum ſua adfinitatem absque multo labore addiſcerent, libellosve, quibus noſter populus facilius adduci poſſet, ut unionem amplectatur, in lucem emitterent. Idcirco præfatus Bulgaricus Archi-Præſul nullum non movit lapidem,

---

(4.) Daco-Romanos jam inde ab initio ſuſceptæ Fidei Chriſtianæ, hoc eſt a Sæculo II. quo exeunte eos Chriſtianos fuiſſe, Tertullianus *in Lib. adverſ. Judæos* abunde teſtatur, uſque ad Sæculum XV. materna ſua Lingua peregiſſe DIVINA, oſtendam in Hiſtoria, quam de rebus a Majoribus noſtris geſtis adornare conſtitui; hic ſolummodo moneo, Clariſſimum Virum Patrem Le-Quien in *Oriente* ſuo *Chriſtiano* miraturum haud fuiſſe, quod plurium Epiſcoporum Daciæ Nomina, & varias ſubſcriptiones Latinas offenderit, ſi notum ei fuiſſet, hos origine æque, ac Linguâ Romanos fuiſſe.

©BCU Cluj

dem, ut Daco-Romanos in ſuam ſententiam attrahat.

Nec ſpes eum fefellit ſua. Re enim vera Alexander I. Moldaviæ Authentes, & Princeps eidem morem geſſit, & Linguam Slavico - Illyricam in SACRIS per totum ſuum Principatum adhiberi juſſit. Hujus exemplum ſecuti fuêre poſtea etiam alii Daco-Romanorum Dynaſtæ, etſi cum duplici totius Nationis damno, nimirum cum longæva ejusdem ab Eccleſia Latina ſciſſione, & cum ſummo Linguæ propriæ detrimento: quorum primo ut *Deus Ter optimus* medelam aliquando adferre dignetur, ex animo precor; alteri ex parte adlatum jam eſt remedium, Linguam enim Slavicam, retentis characteribus, paulo poſt, ſæculo videlicet elapſo, Majores noſtri iterum expunxerunt: ex parte adferre conabimur,

dum

©BCU Cluj

dum Scholæ Valachicæ ad normam Germanicarum Auſtriacarum e feliciter regnantium Auguſtiſſimorum clementia inſtituentur.

Quod ideo commemorandum hic duxi, ne quis exiſtimet, nos in toto hoc opere aliud præ oculis habuiſſe nihil, niſi ut maternam noſtram Linguam perficiamus. Non enim eam perficere ſtuduimus, ſed docere, non quidem alium in finem, niſi ut noſtrum publicæ utilitati proſpiciendi ſtudium, & amorem conteſtemur, atque obſecundemus votis Daco-Romanorum Alumnorum Collegii Græci ad S. Barbaram, qui, ut ſunt amantiſſimi eruditionis, non ſolum pridem a nobis poſtularunt, ut hoc opuſculum luci edamus, ſed etiam in multis nobis concurrerunt. Quibus eo libentius adſenſum præbuimus noſtrum, quod longe prius præviderimus, multos cujuscun-

©BCU Cluj

cunque conditionis, ſtatusve homines ſummum ex hoc noſtro labore emolumentum relaturos.

Sive enim Commercium cum Daco-Romanis quispiam exercuerit, ſive iter per Valachiam Transalpinam, Moldaviam, Tranſylvaniam, Marmatiam, Hungariam Trans-Tybiſcanam, Silvaniam, Banatum, Kuzo-Valachiam, Beſſarabiam, ipſam adeo Crimeam, fecerit, Daco-Romana Lingua præ cæteris indigebit, quippe qua frequentiorem in enumeratis provinciis audias nullam. Verum de his ſatis.

Illud mihi poſtremò a te, Lector, etiam atque etiam petendum eſt, ut memineris, hanc Grammaticam primam eſſe, quæ in Daco-Romana Lingua lucem aſpexerit: ob eamque rem mirum tibi non ſit, ſi aliqua aut ommiſſa, aut errata, aut non ſuo loco modoque in ea dicta repereris. Noſtrum

©BCU Cluj

ſtrum erit deinceps, navare operam, ut quæ huic Editioni defuerint, addamus, errata emendemus, & hanc ipſam Giammaticam unà cum Dictionario Daco-Romano, quod (dummodo otium nobis, & ſcribendi commodum non deſit) componere fert animus, ad majorem perfectionem deducamus, publicoque uſui utiliorem reddamus.

Tu interea, Candide Lector, hunc qualemcunque noſtrum laborem, & fatigium æqui bonique conſulito, & valeto.

ELE-

©BCU Cluj

ELEMENTORUM LINGUÆ DACO-ROMANÆ, SIVE VALACHICÆ PARS PRIMA *DE ORTHOGRAPHIA.*

CAPUT I.

De Litteris Daco-Romanis, earumque Pronuntiatione.

§. 1.

Veteres Daco-Romanorum Litteræ eædem ſunt, quæ & Latinorum, ſeu antiquorum Romanorum, a quibus originem ducunt ſuam. Videlicet:

Majuſculæ.

A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. U. X. Y. Z. J. V.

©BCU Cluj

Minusculæ.

a. b. c. d. e. f. g. h. i. k. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. x. y. z. j. v.

§. 2. Harum Litterarum poteſtatem, ſeu potius Pronuntiationem, a modernâ Latinâ pronuntiatione in quibusdam vocibus non nihil diverſam, ſequentes paginæ, quoad fieri poterit absque viva Magiſtri voce, indicabunt. Itaque

A. a. Accentû acutô ' notatum, aut duplicatum ſonat, ſicut in Linguâ Latinâ. e. g. *Cáp*, caput. *Nás*, naſus. *Cápraa*, capra. *Lege* Cap, Nas, Capra.

Absque ullô Accentû poſitum pronunciatur ſicut Littera Ruthenica ъ. a Daco-Romanis pronunciari ſolet in ultimâ ſyllabâ hujus vocis лѫминъ, lumen.

Ab his regulis excipe *A.* ante MB. MP. & N. ſimplex poſitum, aut Accentû circumflexô notatum. In his enim circumſtantiis *A* non pronuntiatur, neque ut Accentû acutô notatum, neque ut ſine Accentû poſitum, ſed mollius, ac quaſi per naſum. e. g. *Trambitia*, tuba. *Camp*, Campus. *Pane*, panis. *Târg*, nundinæ. De quarum vocum pronuntiatione, nec non de Littera ъ in priori Regulâ citatâ præſtabit conſulere vivam Magiſtri vocem.

Hic tamen notes velim, priorem Exceptionem in vocibus peregrinis, præſertim Græcis propriis, atque in voce *Lánce*, lancea,

©BCU Cluj

cea, locum non habere. Namque pronuntiantur more Latinorum: Lance: Antonie: &c.

B. b. Ut apud Latinos.

C. c. Pronunciatur more Italorum, id est ante *E* & *I*, sicut *Cs* apud Hungaros, aut sch apud Germanos in fine hujus vocis Mensch. v. g. *Cruce*, crux, *Cine*, quis. Ante reliquas autem sive Vocales, aut Diphthongos, sive Consonantes, aut in fine vocum positum sicut *K*. e. g. *Cár*, currus, *Corn*, cornu. *Culme*, culmen. *Fác*, facio.

Excipe C ante H aut T positum. In priori enim casu pronuntiatur ut χ Græcum, & in secundô ut P Latinum. e. g. *Chriſtòs*, Chriſtus. *Lege* χριστὸς. *Láčte*, lac. *Lege* Lapte.

ç. caudatum, quod & Gallorum proprium est, pronuntiatur, ut simplex Z apud Italos, aut Tz apud Germanos, Hungarosve. e. g. *Fáçie*, facies. *Gláçie*, glacies.

D. d. sonat ut apud Latinos; verum tamen ante Vocalem I pronuntiatur ut Z apud Græcos, atque Latinos. v. g. *Dieu dice*, Deus dicit. *Lege* Zieu zice.

E. e. sonat sicut apud Latinos.

Excipe si ante MB. MP. & N simplex ponatur. Quia in hôc casû pronunciatur sicut A. ante has easdem Consonantes. e. g. *Fen*, fœnum. *Coperement*, cooperimentum.

©BCU Cluj

Ante N ſimplex poſitum tamen pronuntiatur ut I. ſi in ſequenti ſyllabâ ſit aliud E aut I. v. g. *Cuvente*, verba. *Dente*, dens. *Denti*, dentes. *Lege* Cuvinte, Dinte, Dinti.

Quodſi vero conſtruatur cum aliis Conſonantibus præter dictas ſuperius, reperiaturque in ſequenti ſyllabâ aliud E aut A pronuntiatur ac ſi foret EA. v. g. *Lege*, lex. *Merge*, pergit. *Lege* Mearge, Leage.

Denique poſitum ante N ſimplex, ſi ſuperius notetur duobus punctis, aut ſit ſyllaba nominis alicujus proprii, ſonat ut E Latinum. e. g. *Vënen*, venenum. *Auſſentie*, Auxentius.

F. f. pronuntiatur ſicut apud Latinos.

G. g. more Italorum, ante E & I. v. g. *Fuge*, fugit. *Geme*, gemit. *Legi*, leges.

Ante alias autem litteras, aut in fine vocis, ut apud Germanos & Hungaros, v. g. *Fuga*, fuga. *Fág*, fagus.

Excipe G ante N. poſitum, quod non amplius G ſed M pronuntiari debet e. g. *Pugn*, pugnus. *Gnell*, agnellus. *Lege* Pumn, Mnell.

H. h. in vocibus, quæ a Latinis proveniunt, ſonum penitus amittit: in peregrinis ſonat ut apud Latinos: poſt C poſitum efficit, ut C pronuntietur veluti χ Græcum, vel CH Germanicum. v. g. *Hom*, homo. *Hora*, hora. *Hoſte*, hoſtis, vel exercitus. *Háina*, veſtis. *Lege* Om, Ora, Oſte, Hájna.

I. i.

©BCU Cluj

I. i. pronuntiatur ut apud Latinos; aſt ante MB. MP. & N ab initio vocis poſitum, ſonat ut A. ante has easdem conſonantes: in fine vero vocis ſitum, niſi notetur accentu gravi, pronuntiatur ut J apud Latinos. e. g. *Cine*, quis. *Imperát*, imperator. *Homeni*, homines. *A-Dormì*, dormire. *Lege* Homenj, A dormì.

L. l. De hac littera notari debent ſequentia:

I. Initio vocis, vel ante, vel poſt conſonantem poſitum, aut duplicatum pronuntiatur ut ſimplex L Latinum. e. g. *Lárg*, largus, *Flore*, flos. *Selbátec*, Silvaticus. *Vállie*, vallis. *Cauall*, Caballus.

II. In medio inter duas vocales, & in fine vocis cujuslibet, ſi ſit ſimplex, pronuntiatur ut R Latinum. e. g. *Mo'a*, mola. *Ánge'*, Angelus. *Lege* Mora, Anger.

Nota. Regulam hanc ſecundam dedimus, quò facilius voces a Latinis deducamus, & ut oſtendamus, hanc eſſe generalem Litteræ L. corruptionem: per hoc tamen licebit cuique loco L, quod ſemper debet notari ſpiritû aſprô, etiam R ſcribere.

Exceptio. Voces, quæ proveniunt a ſupinis verborum, nec non ipſamet ſupina, & Articulus definitus LE, vel 'L, vel UL, item Delá pronuntiationem Latinam litteræ L conſervant, etiamſi hæc inter duas vocales,

©BCU Cluj

aut in fine vocis reperiatur. e. g. *Humilit*, humiliatus. *Táta'l*, hic pater. *Delá*, ab

III. L poſtpoſitum Litteris C & G pronuntiatur, ac ſi eſſet HI, efficitque ut C pronuntietur ut K, & G ut apud Germanos. e. g. *Cláue*, clavis. *Gláçie*, Glacies. *Lege* Chiaue, *ſive* Kiaue, & Ghiaçie.

IV. Si poſt L immediate ſequatur I, atque ſyllabam LI rurſus immediate præcedat, aut ſequatur Vocalis, aut Diphthongus, iſtud LI pronuntiatur ut J Latinum, aut Germanicum. v. g *Muliere*, mulier. *Filiu*, filius. *Eli*, illi. *Lege* Mujere, Fiju, Ej.

M. m. & *N. n.* ut apud Latinos ſonat.

O. o. pronuntiatur ut apud Latinos.

Sed ante MB, MP & N, ut U Latinum. v. g. *Bombác*, Bombacum. *Compar*, comparo. *Monte*, mons. *Lege* Bumbac &c.

Excipe nomina propria, in quibus O poſitum ante dictas conſonantes ſonat ut apud Latinos. v. g. *Antonie*, Antonius &c.

Cùm vero poſt ſyllabam, quæ cum O ſcribitur, ſequitur alia cum A vel E ſcripta, O poſitum in priori ſonat, ac ſi foret OA. v g. *Porta*, porta. *Sorte*, ſors. *Lege* Poarta, Soarte.

Excipe Interjectiones, in quibus O pronuntiatur ut apud Latinos e. g. Odáta, *mactè*.

P. p. ſonat ut apud Latinos.

©BCU Cluj

Q. q. habet ſibi ſemper adjunctum V. quocum ſimul pronuntiatur ut K. v. g. *Qvand*, quando. *Qvál'e*, quis, qualis. *Lege* Kand, Kal'e.

R. r. ut apud Latinos.

S. s. ſimplex ante I pronuntiatur craſſè, ut Sch apud Germanos, & Chi apud Gallos. v. g. *Si*, et. *Reſina*, reſina. *Ruſine*, rubor.

Duplex vero tenue, ut S Latinum, aut Italicum. v. g. *Foloſſitore*, propugnatrix.

Sc. ante E & I pronuntiatur ſicut ST a Germanis initiô vocum Germanicarum, aut ab Hungaris in vocibus hungaricis. v. g. *Creſcere*, creſcere. *Scientia*, ſcientia. *Lege* Stientia, Creſtere.

De reliquô ſonat ut apud Latinos.

T. t. ante I ſonat ſicut TZ apud Germanos, & Hungaros, vel Z apud Italos. v. g. *Tiene*, tene. *Tie*, tibi. *Toti*, omnes. *Lege* Tziene, Tzie, &c.

Excipe nomina propria & ſyllabam *Sti*, in quibus T ante I pronuntiatur ſicut apud Latinos. e. g. *Conſtántin*, Conſtantinus. *Eſti*, es.

De reliquo T ſonat ut apud Latinos.

U. u. pronunciatur ut apud Latinos; ſed poſt vocalem in fine vocis poſitum ſolummodo dimidium. v. g. *Reu*, malus. *Dieu*, Deus.

©BCU Cluj

Inter duas vocales positum plane negligitur. e. g. *Oue*, ovis. *Boui*, boves. *Laudauam*, laudabam. *Cantáui*, cantavi. *Lege* Oé, Boi, Laudaam, Cantai.

Z. z. ut apud Latinos.

J. j. pronuntiatur sicut apud Gallos. v. g. *Judecáre*, judicare. *Jug*, jugum. &c.

V. v. pariter sonat ut apud Latinos.

X. Y. & K. a Daco Romanis non adhibentur, nisi in vocibus peregrinis & propriis, in quibus sonant ut apud Latinos.

§. 3 Litteræ dividuntur in Vocales & Consonantes. Vocales sunt sex: A. E. I. O. U. & Y. Reliquæ Litteræ sunt Consonantes.

CAPUT II.

De Diphthongis, earumque Pronuntiatione.

§. 4. Diphthongi tot sunt in Lingua Daco-Romana, qnot sunt vocales aliis vocalibus immediate subnexæ: pronuntianturque ita, ut ex omni vocali dimidius tantummodo sonus audiatur. v. g. *Sáu*, vel. *Aurária*, auraria. *Meu*, meus.

EA tamen pronuntiatur, ut IA apud Latinos, & EI ut I. v. g. *Cea*, illa. *Domnaei*, Dominæ. *Lege* Ceja, Doamni.

AU

©BCU Cluj

AU poteſt pronuntiari etiam ut O apud Latinos, & *EO* ut ö apud Hungaros; attamen melius pronuntiatur exprimendo omnium vocalium dimidium ſonum.

CAPUT III.

De Apoſtrophe, ſive Abbreviatione.

§ 5. Apoſtrophe fit cùm vocem aliquam in vocalem deſinentem ſubſequitur alia a vocali initium ducens; ſcilicet in tali caſu primæ vocis ultima vocalis eliditur, & conſonans eam præcedens ſigno Apoſtrophes ' notatur. v. g. *N'ám*, non habeo *M'ám dus*, abivi. *Loco* Nu ám, Me ám dus.

Aliter etiam fieri poteſt Apoſtrophe, nempe ſi vox deſinat in vocalem, eamque ſequatur alia incipiens a ſyllaba IN : I ex hac ſyllaba omittitur, notaturque 'N ſigno Apoſtrophes v g. *Lâ'ntrare, loco Lá intrare*, ad intrandum.

Nota Apoſtrophe in Lingua Daco-Romana neceſſario fieri non debet, idcirco parce & caute illâ utendum, ne ſenſus aut penitus immutetur, aut reddatur dubius, vel obſcurus.

©BCU Cluj

PARS II.

DE ETYMOLOGIA.

CAPUT I.

De Articulo.

§. 1. Cùm in Lingua Daco-Romana terminatio nominum eadem maneat in omnibus Casibus, Articuli, quibus præter Genera Casus quoque indicantur, perpetuò adhibeantur, necesse est.

Est autem Articulus in Daco-Romana Lingua duplex: alter definitus, qui rem determinat, indefinitus alter, qui rem non determinat.

§. 2. Indefinitus est *Un*, quidam masculini, & *O*, quædam fœminini Generis, Neutrô enim Daco-Romani prorsus carent. Declinanturque hôc modô:

ARTICULI INDEFINITI DECLINATIO.

Singulariter.

	Masc.	*Fœm.*
N.	Un, *Quidam.*	O, *Quædam.*
G.	A-unui.	A-unei.
D.	Unui.	Unei.

Ac-

©BCU Cluj

Ac. Pe-un.	Pe-o.
V. *caret.*	*caret.*
Ab. Delá-un.	Delá-o.

Pluraliter.

N. Uni, *Quidam.*	Une, *Quædam.*
G. A-unor.	A-unor.
D. Unor.	Unor.
Ac. Pe-uni.	Pe une.
V. *caret.*	*caret.*
Ab. Delá uni.	Delá-une.

Nota I. Articulus indefinitus, quando adhibetur absque nomine, indiget articulo definito tam in ſingulari, quam in plurali; quando verò cum nomine eſt conjunctus, articulo definito non indiget, poteſt tamen in plurali hunc quoque ſibi adſciſcere. v. g. *Au murit un hom*, mortuus eſt quidam homo. Sine nomine dicendum: *Au murit un-ul*, mortuus eſt quidam. In plurali dicitur: *Au murit uni homeni*, vel *Au murit uni-i homeni*, mortui ſunt quidam homines.

II. Articulus indefinitus fœmininus, quando definitum ſibi adſciſcit, in Nominativo ſingulari non amplius dicitur O; ſed Una, cui addito articulo definito A fit Unaa. v g. *Au murit o muliere*, mortua eſt quædam mulier. Sine nomine, & cum articulo definito dicendum: *Au murit unaa*, mortua eſt quædam.

III Poſſunt loco Articuli indefiniti pluralis numeri tam maſculini, quam fœmi[illegible]ni ad-

adhiberi Pronomina *Nesce*, vel *Nisquáli*, quidam, quædam. v. g loco *Uni homeni plang*, quidam homines plangunt, dici potest *Nesce*, vel *Nisquáli homeni, ſéu mulieri plang*, quidam homines, vel quædam mulieres plangunt.

De Articulo definito.

§. 3. Articulus definitus maſculinus eſt *L'*, vel *Le*, vel *Ul*, æquivalens Articulo definito Germanorum Der, & Italorum *Il*. *L'* poſtponitur nominibus maſculinis, definentibus in *A* vel *U*. v. g *Táta-l'*, Der Vater, Il Padre. *Reu l'*, malus. *Le* definentibus in aliam quamcunque vocalem. v. g. *Cane-le*, der Hund, il cane, canis. *Ul* poſtponitur nominibus maſculinis definentibus in conſonantem ſimplicem, aut duplicem. v g. *Bon-ul*, bonum. *Domn-ul*, Dominus, Der Herr, Il Signore.

Articulus definitus fœmininus eſt A æquivalens articulo Germanorum Die, & Italorum *La*, poſtponiturque nominibus fœminis quomodocunque definentibus, v. g. *Lana-a*, lana. *Flore-a*, flos &c.

DECLINATIO ARTICULI DEFINITI.

Singulariter.

	Maſc.	*Fœm.*
N.	L', *vel* Le, *vel* Ul.	A.
C.	A-lui, *vel* A-ului.	A-ei.
D.	Lui, *vel* ului.	Ei.

Ac,

©BCU Cluj

Ac. Pe-l', *vel* Pe-le, *vel* Pe-ul.	Pe-a.
V. *caret.*	*caret.*
Ab. Delá-l', *vel* Delá-le, *vel* Delá ul.	Delá a.

Pluraliter.

N. I.	Le.
G. A lor.	A-lor.
D. Lor.	Lor.
Ac. Pe-i.	Pe le.
V. *caret.*	*caret.*
Ab. Delá i.	Delá-le.

CAPUT II.

De Nomine.

§. 4. Monuimus initio Capitis præcedentis, quod Nomina Daco Romana invariata maneant, & tantum Articulus declinetur. Nunc, quæ diximus, exemplis confirmemus, oportet. Sit itaque

DECLINATIO NOMINIS, VEL POTIUS ARTICULI CUM NOMINE.

Singulariter.	*Singulariter.*
N. Táta-l', *Pater.*	N. Cane-le, *Canis.*
G. A-táta-lui.	G. A-cane lui.
D. Táta-lui.	D. Cane-lui.
Ac. Pe-táta-l'.	Ac. Pe-Cane-le.
V. Táta!	V. Cane!
Ab. Delá-táta-l'.	Ab. Delá-cane-le.

Plu-

©BCU Cluj

Pluraliter.	*Pluraliter.*
N. Táti-i, *Patres.*	N. Cani-i, *Canes.*
G. A táti-lor.	G. A-cani-lor.
D. Táti-lor.	D. Cani-lor.
Ac. Pe-táti-i.	Ac. Pe-cani-i.
V. Táti!	V. Cani!
Ab. Delá-táti-i.	Ab. Delá-cani-i.
Singulariter.	*Singulariter.*
N. Domn ul, *Dominus.*	N. Domna-a, *Domina.*
G. A-domn-ului.	G. A-domna-ei.
D. Domn-ului.	D. Domna-ei.
Ac. Pe-domn-ul.	Ac. Pe-domna-a.
V. Domne!	V. Domna!
Ab. Delá-domn-ul.	Ab. Delá-domna-a.
Pluraliter.	*Pluraliter.*
N. Domni-i, *Domini.*	N. Domne-le.
G. A-domni-lor.	G. A-domne-lor.
D. Domni-lor.	D. Domne-lor.
Ac. Pe domni-i.	Ac. Pe-domne-le.
V. Domni!	V. Domne!
Ab Delá-Domni-i.	Ab. Delá-domne-le.

Vides, Lector, particulas *A*, *Pe*, & *Delá* in Genitivo, Accusativo, & Ablativo semper præponi, Articulum vero postponi nomini, quod declinatur.

II. Dativus singularis *Lui* nominibus propriis, & voci *Dieu* semper præponitur. v. g. *Lui Antonie*, Antonio. *Lui Dieu*, Deo. *Ei* vero, etsi quandoque possit etiam præponi nominibus propriis fœminarum, tamen me-

©BCU Cluj

melius poſtponitur. v. g. *Ei Marie*, Mariæ; melius dic. *Marie-ei.*

III. Quando ſunt duo nomina Subſtantiva, quorum unum in Genitivo poni debet, ſi nomen, quod eſt in Genitivo, poſtponatur, tunc *A* Genitivi eleganter omittitur. e. g. loco *Cauall-ul á domn-ului*, Equus Domini: elegantius dicitur: *Cauall-ul Domn-ului*, quod idem ſignificat. Quodſi nomen, quod eſt in Genitivo, præponatur, nomen aliud, quod ſequitur, amittit Articulum. v. g. *A Domn-ului Cauall*, Domini equus. Alia vide in Syntaxi.

CAPUT III.

De Declinatione Subſtantivi cum Adjectivo.

§. 5. Adjectiva, & Pronomina vices Adjectivorum gerentia, apud Daco-Romanos poſſunt præponi, aut poſtponi Subſtantivis. Idcircò de iis ſequentia nota:

I. Si Adjectivum cum Subſtantivo ſimul ſit declinandum, quod ex eis præponitur, declinatur, quod autem poſtponitur, indeclinabile manet. Vide exemplum.

Singulariter.		*Singulariter.*	
N.	Bon-ul hom, *Bonus homo.*	N.	Hom-ul bon, *Homo bonus.*
G.	A-bon-ului hom.	G.	A-hom-ului bon.
D.	Bon-ului hom.	D.	Hom-ului bon.

Ac.

©BCU Cluj

Ac. Pe-bon-ul hom.	Ac. Pe-hom-ul bon.
V. Bone hom!	V. Hom bon!
Ab. Delá-bon-ul hom.	Ab. Delá-hom-ul bon.
Pluraliter.	*Pluraliter.*
N. Boni-i homeni.	N. Homeni i boni.
G. A-boni-lor homeni.	G. Ahomeni-lor boni.
D. Boni-lor homeni.	D. Homeni lor boni.
Ac. Pe boni-i homeni.	Ac. Pe homeni-i boni.
V. Boni homeni!	V. Homeni boni!
A. Delá-boni-i homeni.	A. Delá-homeni-i boni.

II. Pronomina demonſtrativa, ſi nomini poſtponantur, declinantur unà cum illo, ſi vero præponantur, tantum illa declinantur. Vide exemplum:

Singulariter.	*Singulariter.*
N. Hom-ul ell máre, *Homo ille magnus.*	N. Ell-hom máre, *ille homo magnus.*
G. A-hom-ului ell-ui máre.	G. A-ell-ui hom máre.
D. Hom-ului ell-ui máre.	D. Ell-ui hom máre.
Ac. Pe-hom-ul ell máre.	Ac. Pe-ell hom máre.
V. Hom-ule ell máre!	V. Tu ell hom máre!
Ab. Delá-hom-ul ell máre.	A. Delá ell hom máre.
Pluraliter.	*Pluraliter.*
N. Homeni-i eli mári.	N. Eli homeni mári.
G. A-homeni-lor ell-or mári.	G. A-ell-or homeni mári.
D. Homeni-lor ell-or mári.	D. Ell-or homeni mári.

Ac.

©BCU Cluj

Ac. Pe-homi-i eli mári. Ac. Pe-eli homeni mári
V. Homeni lor eli mári V. Voi-eli homeni mári
Ab. Delá-homen eli Ab. Delá eli homeni
mari. mári.

III Adjectivum *Tot*, *Tota*, omnis, in Singulari sive præ- sive postponatur Nomini, manet quidem indeclinabile, attamen in priori casu exigit ante se particulas A- Pe- & Delá: non ita in Plurali, ubi, quando præponitur nomini, declinatur, secus nequaquam. Vide exemplum:

Singulariter.	*Singulariter.*
N. Tot hom-ul, *omnis homo.*	N. Hom-ul tot, *homo omnis, v. totus.*
G. A-tot hom-ului.	G. A-hom-ului tot.
D. Tot hom-ului.	D. Hom ului tot.
Ac Pe tot hom-ul.	Ac. Pe-hom ul tot.
V. *caret.*	V. *caret.*
Ab. Delá tot hom-ul.	Ab. Delá hom ul tot.
Pluraliter.	*Pluraliter.*
N. Toti homeni-i.	N. Homeni-i toti.
G. A tut uror homeni-lor.	G. A-homeni-lor toti.
D. Tut uror homeni-lor.	D. Homeni-lor toti.
Ac. Pe-toti homeni-i.	Ac. Pe-homeni-i toti.
V. *caret.*	V. *caret.*
Ab Delá toti homeni-i.	Ab. Delá-homeni-i toti.

©BCU Cluj

§. 6. Habes jam, candide Lector, omnium Declinationum exempla: supereſt, ut tibi notes, quod Nomina, quæ proveniunt a maſculinis ſecundæ Declinationis Latinorum, in Vocativo ſingulari etiam apud Daco-Romanos deſinant in E, quod Nominativo addi ſolet. v. g. *Domn*, Dominus, Vocativum habet *Domne*. *Somn*, ſomnus, *Somne*. &c.

§. 7. Reliqua Nomina Vocativum habent ſimilem Nominativo ejusdem Numeri deſtituto Articulo definito. e. g. *Táta*, pater, Vocativum habet Táta! *Cane*, canis, *Cane*! *Homeni*, homines, *Homeni*! Vulgus tamen in colloquiis familiaribus, ut Vocativum formet, Nominativis ſingularibus Nominum, quæ exigunt Articulum *Ul*, addunt *Ule*: v. g. *Bon*, bonus, Voc. *Bonule*! Nominativis vero pluralibus adjungit *Lor*. v. g. *Domni*, Domini, *Domnilor*! o Domini! Utrumque poteris adhibere; melius tamen, conſultiusque ages, ſi pro Vocativo aſſumſeris Nominativum ejusdem Numeri absque Articulo definito, ut dictum jam fuit.

CAPUT IV.

De Generibus Nominum.

§ 8. Genera, uti jam diximus, duo tantummodo ſunt in noſtra Lingua, nempe Maſculinum, & Fœmininum, Neutro

©BCU Cluj

tro prorſus deſtituimur, ideo quando aliquid neutraliter efferre cupimus, adhibemus Fœmininum. v. g. *Aceáſtaa fie*, hoc fiat. *Eu ſi Tátaĭ unaa ſentem*, Ego & pater unum ſumus. Quibus annotatis ſit

Regula I. Nomina definentia in A & E ſunt Generis fœminini. v. g. *Domna*, Domina. *Luna*, luna. *Carte*, liber. &c.

Excipe nomina propria virorum, & quæ officium, aut ſexum virilem, ſignificant: item provenientia a Maſculinis Latinorum, quæ omnia (ſi unicam fœminini Generis vocem *Pane*, panis, excipias) apud Daco-Romanos quoque ſunt Generis maſculini. e. g. *Táta*, pater. *Cane*, canis. *Folle*, follis. *Sole*, ſol.

II. Adjectiva definentia in E ſunt Generis communis, e. g. *Máre*, magnus. *Táre*, fortis. &c.

III. Nomina definentia in Conſonantes ſunt Generis maſculini. e. g *Legn*, lignum. *Ferr*, ferrum. *Ulm*, ulmus. &c.

Excipe Nomina propria fœminarum, ut *Eliſávet*, Eliſabetha. &c.

IV. Nomina definentia in *U* ſunt Generis maſculini. v. g. *Reu*, malus. *Riu*, rivus. &c.

©BCU Cluj

CAPUT V.

De Formatione Nominativi Pluralis a Singulari.

§. 9. Diximus *Capite I. hujus Partis*, quod Nomina Daco - Romana maneant invariata per omnes Casus. Hoc loco docebimus formare Nominativum pluralem a Nominativo singulari, a quo semper differt.

§. 10.

De Formatione Pluralis Adjectivorum.

Regula I. Adjectiva masculini Generis desinentia in Consonantes, formant Nominativum pluralem addendo Nominativo singulari *I.* v. g. *Bon*, bonus. *Boni*, boni &c.

Desinentia *U*, mutando *U* Nominativi singularis in *I.* v. g. *Reu*, reus, malus. *Rei*, rei, mali.

II Adjectiva communis Generis mutant *E* Nominativi singularis in Nominativo plurali in *I.* v. g. *Táre*, fortis. *Táre*, fortes.

III Adjectiva fœminini Generis, desinentia in *A* formant Pluralem mutando *A* singularis Numeri in *E.* v. g. *Bona*, bona. *Bone*, bonæ. *Láta*, lata. *Láte*, latæ. &c.

Excipe desinentia in *GA*, & *EA*. Illa enim mutant *A* in *I*, & hæc *A* in *LE.* v. g. *Lárga*, larga *Lárgi*, largæ. *Rea*, rea, mala. *Rele*, reæ, malæ. &c.

§. 11.

©BCU Cluj

§. 11. Hæc de Adjectivis dicta ſunto; nam alia eſt ratio Subſtantivorum, quorum Pluralem partim ex Significatione, partim ex Terminatione, & partim ex uſu addiſces.

§. 12.

De formatione Pluralis Subſtantivorum.

Regula I. Subſtantiva maſculina, ſignificantia rem animatam, arbores, officia & dignitates virorum formant Pluralem in *I.* v. g. *Domn*, dominus. *Domni*, domini *Urs*, urſus, *Urſi*, urſi. *Fág*, fagus, *Fági*, fagi. *Conſilliár*, Conſiliarius, *Conſilliári*, Conſiliarii. *Imperát*, Imperator, *Imperáti*, Imperatores. &c.

§. 13. Cæterum ex terminatione Nominativi Singularis facilius formabis Nominativum pluralem. Ideoque eſto Regula

II. Subſtantiva deſinentia in *A*, ſi ſignificent rem animatam, vel fructus; item voces *Apa*, aqua. *Olla*, olla. *Cisma*, Cothurnus. cum aliis ad veſtitum præſertim muliebrem pertinentibus, mutant *A* Nominativi ſingularis in Nominativo plurali in *E.* v. g. *Domna*, domina, *Domne*. *Epa*, equa, *Epe*. *Apa*, aqua, *Ape*. &c.

Excipe *Váca*, vacca, *Váci*, vaccæ. & vocem *Táta*, pater, quæ ſecundum primam Regulam Pluralem habet *Táti*, patres.

Reliqua Subſtantiva deſinentia in *A*, formant Pluralem vertendo *A* Singularis in

©BCU Cluj

I. v g. *Luna*, luna, *Luni. Limba*, lingua, *Limbi. Cameſia*, camiſia, *Cameſii.*

Deſinentia in *EA*, Pluralem formant mutando *A* in *LE.* v. g. *Turturea*, turtur, *Turturele*, turtures. &c.

III. Subſtantiva deſinentia in *B*, Pluralem formant aſſumendo *URI.* v. g. *Plumb* plumbum, *Plumburi.*

Excipe Subſtantiva pertinentia ad primam Regulam. v. g. *Palumb*, Palumbus, *Palumbi.* &c.

IV. Deſinentia in *C*, partim aſſumunt *URI*, & partim *I.* v. g. *Lác*, lacus, *Lácuri. Sác*, ſaccus, *Sáci.* Reliqua, quæ uſu docebere.

Illa tamen Subſtantiva, quæ non proveniunt a vocibus Latinis, plerumque aſſumunt *E.* v. g. *Cumanác*, pileus, *Cumanáce.* &c.

V. Deſinentia in *D*, ſi a Latinis vocibus proveniunt, aſſumunt *URI.* v. g. *Hiád*, hiatus, ſeu infernus, *Hiáduri. Nod*, nodus, *Noduri*, &c.

Secùs aſſumunt & *URI*, & *E.* v. g. *Blid*, patena, *Bliduri*, vel *Blide.* &c.

VI. Subſtantiva deſinentia in Singulari in *E*, mutant *E* in Plurali in *I.* v. g. *Fronte*, frons, *Fronti. Dente*, dens, *Denti.* &c.

VII. Deſinentia in *G*, *L*, & *M*, aſſumunt in Nominativo plurali *URI.* v. g. *Jug*, ju-

©BCU Cluj

jugum, *Jugari.* *Oll*, olla magna, *Olluri.* *Fum*, fumus, *Fumuri.*

VIII. Desinentia in *N* generaliter assumunt *E.* v. g. *Legn*, lignum, *Legne.* *Gran*, granum, triticum, *Grane.* &c.

Quædam tamen assumunt *URI*, & alia *I.* v. g. *Somn*, somnus, *Somnuri.* *Vin*, vinum, *Vinuri.* & *Bán*, Denarius, *Báni.* *Stán*, saxum, *Stáni.* &c.

IX. Desinentia in *P*, si proveniant a Latinis, assumunt *URI* secùs *I.* v. g. *Camp*, campus, *Campuri.* *Temp*, tempus, *Tempuri.* Et *Snop*, manipulus, *Snopi.* Adde *Nàp*, napus, *Nápi.*

Cáp, caput, tamen format Pluralem assumendo *ETE*, ut *Cápete.*

X. Desinentia in *AR*, *ER*, & *OR*, assumunt *E.* v. g. *Cár*, currus, *Cáre.* *Humer*, humerus, *Humere.* *Topòr*, parva securis, *Topore.* &c.

Desinentia in *UR* assumunt *I.* v. g. *Fágur*, favus, *Fáguri.* &c.

Huc referenda sunt Substantiva desinentia in *IL*, seu *IR*, quæ in Plurali assumunt *E.* ut *Fil*, filum, *File.*

XI. Desinentia in *T*, partim assumunt *E*, partim *URI* & partim utrumque.

XII. Desinentia in *V* assumunt *URI*, & desinentia in *U* accipiunt *RI.* v. g. *Verv*, vertex, *Vervuri.* *Riu*, rivus, *Riuri.* &c.

©BCU Cluj

Reliqua, quæ in Formatione Nominativi Pluralis a Singulari, aut penitus missa fecimus, aut determinare nequivimus, melius faciliusque ex usu percipies.

CAPUT VI.

De Formatione Nominum Fœmininorum a Masculinis.

§. 14. Dare certam, atque determinatam Regulam formandi Nomina Fœminina e Masculinis non est adeo facile, ob eamque rem ipsam illam non promittimus, quantum tamen fieri potest, sequentibus complectemur. Quare sit Regula

I. Adjectiva, quæ in Genere masculino in Consonantes desinunt, in fœminino assumunt *A.* v. g. *Long*, longus, *Longa*, longa. *Viu*, vivus, *Viua*, viva. &c.

II. Substantiva, quæ officium aliquod, vel dignitatem denotant, assumunt *EAS. A.* v. g *Imperát*, imperator; *Imperateassa*, imperatrix.

Excipe vocem *Domn*, dominus, quæ habet Fœmininum *Domn'*, domina.

III. Nominibus animalium irrationalium, quæ in Consonantes desinunt, additur *OE.* v. g. *Lup*, lupus; *Lupoe*, lupa. *Urs*, ursus; *Ursoe*, ursa &c.

Excipe Fœminea, quæ a Masculino non

©BCU Cluj

non formantur, ut *Porc*, porcus; *Scrofa*, ſcrofa. *Cauall*, equus; *Epa*, equa. &c.

IV. Servitium ſignificantia aſſumunt *TIA*. v. g. *Vacáriu*, vaccarius; *Vacáritia*. *Pecurariu*, pecurarius; *Pecuraritia*. &c. Verum *Sierb*, ſervus, format *Sierba*, ſerva.

Cætera percipies ex uſu.

CAPUT VII.

De augmentanda, & diminuenda ſignificatione Nominum.

§. 15. Nominum ſignificatio augetur, quando additur eis *OIU*. v. g. *Cauall*, equus; *Caualloiu*, equus extraordinariæ magnitudinis. &c.

Minuitur vero ſignificatio Nominum, quando Maſculinis additur *UTIU*, vel *ISIOR*, & Fœmininis *UTIA*, vel *SIORA*. v. g. *Domn*, dominus; *Domnutiu*, vel *Domniſior*, herulus. *Domna*, domina; *Domnutia*, vel *Domniſiora*, domicella. &c.

CAPUT VIII.

De Comparationibus.

§. 16 Nihil eſt facilius in Lingua Daco-Romana, quam formare Comparativum, & Superlativum a Poſitivo Gradu.

Comparativus enim formatur præpo-

©BCU Cluj

nendo ei *Mái*, magis. v.g. *Bon*, bonus; *Mái bon*, melior. &c.

Et Superlativus præponendo *Prea*, vel *Forte*, valde. v.g. *Prea bon*, vel *Forte bon*, optimus. &c.

CAPUT IX.

De Pronominibus.

§. 17. Pronomina in Lingua Daco-Romana sunt Personalia, Possessiva, Demonstrativa, Interrogativa, Relativa, & Impropria.

I. DECLINATIO PRONOMINUM PERSONALIUM.

Singulariter.

	I. Persona.	*II. Persona.*
N.	Eu, *Ego.*	Tu, *Tu.*
G.	A-meu, *mei.*	A-tau, *tui.*
D.	Mie, *mihi.*	Tie, *tibi.*
Ac.	Pe-mene, *me.*	Pe-tene, *te.*
Ab.	Delá-mene, *a me.*	Delá-tene, *a te.*

Pluraliter.

N.	Noi, *nos.*	Voi, *vos.*
G.	A-nostr; *nostrûm.*	A-vostr, *vestrûm.*
D.	Noua, *nobis.*	Voua, *vobis.*
Ac.	Pe-noi, *nos.*	Pe-voi, *vos.*
Ab.	Delá-noi, *a nobis.*	Delá-voi, *a vobis.*

Sin-

©BCU Cluj

Singulariter.

III. Perſona.

	Maſc.	*Fœm.*
N.	Ell, *ille.*	Ea, *illa.*
G.	A-lui, *illius.*	A-ei, *illius.*
D	Lui, *illi.*	Ei, *illi.*
Ac.	Pe-ell, *illum.*	Pe-ea, *illam.*
Ab	Delá-ell, *ab illo.*	Delá-ea, *ab illa.*

Pluraliter.

N.	Eli, *illi.*	Ele, *illæ.*
G.	A-lor, *illorum.*	A-lor, *illarum.*
D.	Lor, *illis.*	Lor, *illis.*
Ac.	Pe-eli, *illos.*	Pe-ele, *illas.*
Ab.	Delá-eli, *ab illis.*	Delá-ele, *ab illis.*

§. 18. Exemplo aliorum Grammaticorum ſubnectimus Pronominibus Perſonalibus Reciprocum, de quo nota

I. Quod ſicut in Lingua Latina Pluralem habeat ſimilem Numero Singulari.

II Ubicunque, & quandocunque in Lingua Latina Reciproco utimur, etiam in Daco-Romana eodem utamur, oportet.

DECLINATIO PRONOMINIS RECIPROCI.

Singulariter, & Pluraliter.

N. *caret.* G. A-ſau, *ſui.* D. Sie, *ſibi.* Ac. Pe-ſene, *ſe.* Abl. Delá-ſene, *a ſe.*

©BCU Cluj

II. *De Pronominibns Poſſeſſivis.*

§. 19. Pronomina Poſſeſſiva ſunt iſta: *Ameu*, meus; *Amea*, mea. *Atau*, tuus; *Ataa*, tua. *Aſau*, ſuus; *Aſaa*, ſua. *Anoſtr*, noſter; *Anoſtra*, noſtra. *Avoſtr*, veſter; *Avoſtra*, veſtra. De quibus hæc ſunt notanda:

I. In Nominativo, Accuſativo, & Ablativo poſſunt præponi, aut poſtponi Nominibus; in aliis Caſibus poſtponenda ſunt ſemper.

II. Quando poſtponuntur Nominibus, amittunt litteram initialem *A*, atque exigunt, ut Nomen, ad quod referuntur, habeat Articulum definitum. v.g. loco *Ameu Cane*, dico: *Cane-le meu*, canis meus. &c.

III. Quando præcedunt Nomen, ad quod referuntur, Articulum aſſumunt nullum. v.g. *Ameu barbát*, meus maritus. *Pe ámeu barbát*, meum maritum. *Amea muliere*, mea mulier. &c.

IV. Sive præ-ſive poſtponantur Nominibus, manent indeclinabilia, & tantum in Genere, & Numero cum Nominibus concordant. v.g. *Ameu Táta*, meus pater. *Amei Parenti*, mei genitores. *Tátaſ meu*, pater meus. *Parentii mei*, genitores mei. &c.

V. *Pe* Accuſativi, & *Delá* Ablativi eis præmittitur, quando præponuntur Nominibus.

VI.

©BCU Cluj

VI. Pluralem habent *Ataui*, tui; *Ataale*, tuæ. *Amei*, mei; *Amele*, meæ. *Aſaui*, ſui; *Aſaale*, ſuæ. *Anoſtri*, noſtri; *Anoſtre*, noſtræ. *Avoſtri*, veſtri; *Avoſtre*, veſtræ.

III. *De Pronominibus Demonſtrativis.*

§. 20. Pronomina Demonſtrativa ſunt ſequentia: *Aceſt*, *Aceáſta*, iſte, iſta. *Acell*, *Acea*, vel *Cell*, *Cea*, ille, illa. *Aceſtáſi*, *Aceaſtaáſi*, idem, eadem. *Eu ins*, ego ipſe; *Tu inſuti*, tu ipſe; *Ell inſuſi*, illé ipſe. Declinantur autem ita:

Singulariter.

Maſc.	*Fœm.*
N. Aceſt, *iſte.*	Aceaſta, *iſta.*
G. A-áceſtui, *iſtius.*	A-áceaſtei, *iſtius.*
D. Aceſtui.	Aceaſtei.
Ac. Pe-áceſt.	Pe-áceaſta.
Ab. Delá-áceſt.	Delá-áceaſta.

Pluraliter.

N. Aceſti, *iſti.*	Aceaſte, *iſtæ.*
G. A-áceſtor.	A áceſtor.
D. Aceſtor.	Aceſtor.
Ac. Pe-áceſti.	Pe-áceaſte.
Ab. Delá-áceſti.	Delá-áceaſte.

Sic declinantur etiam *Acell*, vel *Cell*, & Aceſt áſi, dummodo *ASI*, maneat immutatum in omni Caſu.

In *Eu ins* &c. tantum Pronomina perſonalia declinantur.

Quo-

©BCU Cluj

Quomodo cum Nominibus declinantur, invenies *Capite II. hujus Partis*, ubi de Adjectivis egimus.

IV. *De Pronominibus Interrogativis.*

§. 21. Pronomina interrogativa alia ſunt ſimplicia, alia compoſita. Declinatio ſimplicis.

Singulariter.	*Pluraliter.*
N. Qvál'e, *quis*, *vel quæ*?	N. Qvál'i, *qui*, *vel* Qvál'e, *quæ*?
G. A-qval'ui, *vel* A cui	G. A-qval'or.
D. Qval'ui, *vel* Cui.	D. Qval'or.
Ac. Pe-qvál'e.	Ac. Pe-qváli, *vel* Pe-qvál'e.
Ab. Delá-qvál'e.	Ab. Delá-qvál'i, *vel* Delà-qvál'e.

EXEMPLUM ALIUD.

Singulariter.	*Pluraliter.*
N. Cine, quis, *vel* quæ?	N. Cine, qui, *vel* quæ?
G. A-cui.	G. A qval'or.
D. Cui	D. Qval'or.
Ac. Pe-cine.	Ac. Pe-cine.
Ab. Delá-cine.	Ab. Delá cine.

Sic declinantur etiam: Orecine, *aliquis*. Fiescecine, *quilibet*. Oricine, *quicunque*. Totcine, *quivis* Oreqvál'e, *quidam*. Fieſceqvál'e, *quilibet*. Orqvál'e, *quicunque*. Totqvál'e, *quivis*. *Hæc* omia, ſicuti diximus, de-

©BCU Cluj

